

Franckesche Stiftungen zu Halle

B. Martini Lvtheri Methodvs Stvdii Theologici Interprete Hieronymo Wellero

Weller, Hieronymus

Wittenberg, MDCCXXVIII.

VD18 13415522

[B. Martini Lutheri Methodvs Studii Theologici Interprete Hieronymo Wellero
...]

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-218875

monstravit, ad salutarem Theologiae cognitionem peruenire cupiunt, non ingratum fore, si, in ipsorum usum, haec scriptio separatim recudatur. Oramus Deum, ut quam plurimi traduci se patiantur in optimam hanc discendae Theologiae viam, quam ingressi, cum duce *Luthero*, primi ecclesiae euangelicae Doctores, tot regnis, breui tempore, lucem euangelii reddiderunt. Respice nos, caelestis Pater, miserere nostrum, et Tuo nos vultu illustra: bonum nos doce sensum, scientiam atque pietatem. Dabam d. xxvii. Sept. MDCCXXVII.

§. 1.

*Wellerus tradit Lutheri praecepta
discendi theologiam.*

Gratia et pax in Christo! Quod a me petis, ut Tibi rationem praescribam, quomodo studia tua theologica instituere debeas, recte et pie facis. Nisi enim quis, statim initio, haec studia recte instituerit, nunquam postea, per omnem aetatem, praeclare et cum laude, *θεολογῆν* poterit, sicut in multis Theologis nostrae aetatis

est cernere. Cum igitur te, propter ingenium, et virtutem tuam, diligam; communicabo tibi praecepta, de formandis sacris studiis simul et concionibus, quae a praeceptore meo carissimo, *Reuerendo Dn. Doctore Martino Lutbero*, sanctae memoriae, accepi. (a)

§. II.

Lectio sacrae scripturae, cum reuerentia, et sub piis precibus suscipienda.

Principio, illud iterum iterumque te moneo, vt sacram Scripturam longe aliter legas, quam profanas literas; videlicet, vt cum quadam reuerentia, et summa animi intentione, legas, non, vt hominis et angeli verba, sed, vt verba diuinae maiestatis, cuius vnicum verbulum plus ponderis, apud nos, habeat, quam vniuersa scripta sapientissimorum et doctissimo-

(a) Plura Wellerus, in suis scriptis, enarrat, quae, in domestico conuictu, ex beato viro audiuit.

ctissimorum hominum. Huic lectioni crebras preces admisceas. (b)

§. III.

Quodnam tempus lectioni Scripturae sacrae tribuendum.

Mane, ubi surrexeris, pectus Tuum, lectione Psalmorum, et Evangelistarum, ad precationem accendas. Postea ante-meridianum tempus consumas, lectione Prophetarum, et epistolarum Pauli. (c) Inprimis autem epistolam ad Romanos

A 4

Tibi

(b) Qui pie legit sacras scripturas, cum hoc facit, ut lecta conuertat in preces, ex animo proficiscentes, quibus vires expetantur credendi, quod credendum proponitur, accipiendi, quod offertur, agendi, quod praecipitur, et quod promittitur, sperandi; fructum percipiet, profecto incredibilem, et suauissimum, quo totus mutabitur, nempe si hoc accedat, ut precibus conuenienter agatur.

(c) Wellerus, in Opp. Lat. S. III. p. 168. *Nec vero hoc sic velim accipi, quod omne tempus, in lectione scriptorum Lutheri, consumat: sed optimas horas, in lectione et meditatione sacrorum Bibliorum ponere debet; ut textum sacrae Scripturae quam ma-*

xime

Tibi familiariter notam reddas. Quod superest temporis, in euoluendis scriptis D. Lutheri, et D. Philippi ponas. Pomeridianum tempus destinabis lectioni librorum V. T. praecipue autem operam dabis, vt historias sacras probe Tibi ipsi legendo inculces. His adiungas et antiquitatis notitiam, hoc est, historias ecclesiasticas. Nam cognitio historiarum Theologo valde necessaria est. Nec tamen ita legenda sunt sacra, vt literarum et artium studia prorsus abiiciantur. Magno enim adminiculo, et ornamento, sunt literae et artes liberales S. Theologiae.

§. IV.

Accommodanda inexhausto verbi diuini sensui meditatio.

Si quis locus Scripturae paulo obscurior occurrerit, ne te, scrutanda huius loci sententia, nimium torqueas, sed omitte eum, donec perueneris ad peritiorem Theologum, quem, de isto loco, con-

xime familiarem sibi reddat; inprimis vero epistolam Pauli ad Romanos, crebra lectione, sibi reddat familiarissimam.

fulas. Porro ita ad lectionem sacrarum
literarum accedas, quasi tunc primum eas
legere incipias, et diligenter singulorum
verborum pondera perpendito, et piae
meditationi indulgebis; ita demum fiet,
vt semper nouam doctrinam, aut conso-
lationem, inde percipias. Nulla enim
res perniciosior est Theologo, quam haec
persuasio, se probe hunc locum scripturae
intelligere, & perdidicisse. (d) Nam sa-
cra Scriptura, quo magis legitur, hoc ma-
gis dulcescit, et vberiore consolationem
praebet legenti. Similis est enim herbae
odoriferae, quae, quo magis conteritur,
hoc fragrantior fieri solet. Quid multa?
sacra Scriptura est inexhaustus fons mul-
tiplicis doctrinae, et consolationis, qui,
quo magis bibitur, hoc magis sitim irri-

A 5

tat

(d) Wellerus, in Opp. Lat. S. III. p. 188. *Wir müssen doch der Schrift Schüler bleiben, weil wir leben.* Idem, in praef. p. 34. *Wenn ein hochgelehrter Doctor will allzuboeh fahren, vnd die heil. Schrift, nach der Vernunft, vnd Philosophia, auslegen, vnd will in der Schrift klügeln, vnd etwas sonderliches seyn, für andern; das heiße, υπερεξαίρετον, wollen abzuklug seyn.*

tat; sicut omnes afflictæ mentes testantur. Sed homines securi, et voluptatibus ebrii, ubi vix primis labris sacras literas degustarint, arbitrantur, se omnem doctrinam cælestem exhaustisse.

§. V.

Talem Scripturæ diuinæ vsum excipiens afflictio.

Qui vero, ad hunc modum, ut dixi, sacram Scripturam legerit, non sollicitus sit de cruce et afflictionibus. (e) Nam Satan

(e) Idem in præf. p. 35. Sciant - - diabolus, his ignitis telis, non petere homines profanos et securos, qui pergunt in peccatis; sed illos, qui serio ac vero studio verbi Dei flagrant. Sect. I. p. 338. Nemo - - dulcissimas sententias Scripturæ obseruare et consolationem inde haurire potest, nisi quis easdem tentationes degustarit, quibus Propheeta David, et similes sancti, conflictati sunt. Sect. III. p. 203. Quos Dominus ad eundem modum (quo Iosephum in captiuitate) regit et gubernat, hi demum illud Psalmi 118. recte intelligunt: Ich dancke dir, HErr, daß du mich demüthigest, und hilfest mir. Hi demum possunt, magno cum fructu, docere, in ecclesia, alios
erudire

Satan seriam et ardentem verbi DEI lectionem et auscultationem ferre non potest. Hinc est, quod pio Theologo varia et multiplicia certamina propter studium et amorem verbi DEI lubeunda sint, sicut mihi, et multis aliis, accidisse memini. (f) Cum primum serio sacras conciones et

erudire et consolari. Qui vero non illam vicissitudinem afflictionis ac liberationis experti sunt, hi nec ad docendum, nec ad consolandum sunt idonei. Die bleiben ettel unnütze speciasten, die nirgend zu dienen, qui obiter tantum Scripturas inspiciunt, ac legunt, nucleum vero, hoc est, solidam consolationem et doctrinam inde nequeunt eruere. Quales hodie multi sunt: inprimis autem philosophici illi theologi. -- Oportet aliquos esse, qui scripturas scrutentur, & ipsarum ἐνέγχειαν experiantur, quod facere non possunt, qui semper, in otio et pace, suaviter viuunt, nec ullis exercentur afflictionibus. Impossibile est, hoc securo et tentationum rudi, monstrare tentationum remedia, in sacris litteris.

(f) Idem in praef. p. 1. Me colaphizauit satanas, -- scilicet hac humilis factus ratione, superbus ne fierem, ne, cum securis Doctoribus, ipse perirem, prae fastu, quorum corda superba tument. p. 17. Tentationes meae effecerunt me Theologum. Inuat igitur

et lectiones Dn. Doctoris Lutheri audire
coepissem, illico sensi virulentos morsus
diaboli, qui me acerbissimo odio Luthe-
ri et doctrinae eius accendere studebat,
adeo, vt aliquoties ex aedibus eius emi-
grare cogitarem, cum antea perbeatum
me fore arbitrabar, si mihi consuetudine
summi Viri nonnunquam frui liceret.
Etsi autem omnis generis tentationes
ὁσῶς θεολογῶντι paratae fuerint: tamen il-
lorum efficacissima remedia, et vberri-
mas consolationes ex sacris literis hau-
riet. Consolatio longe exsuperabit tri-
stitionem. Iugum illud Christi ei suauis
erit.

§. VI.

*Quae Speciatim, sub meditatione,
observanda sint.*

Illud etiam admonere volo, vt vbi ali-
quod

igitur - - ita humiliatum fuisse. Quia multiplices
mei agones me coegerunt scrutari Scripturas, et pro-
pmodum singulas earum syllabas numerare, quod fa-
cere nequeunt homines, qui otioso et securo sunt ani-
mu.

quod caput in sacris literis perlegeris, obserues, qui sint praecipui huius capituli loci, et postea verborum emphases et pondera diligenter obserues. (g) Haec diligentia bonos reddit Theologos. Eares, dicebat ad me olim D. Lutherus, me reddidit Theologum. (h) Nec studium illud colligendi, et ediscendi insignes quasdam Scripturae sententias, improbo, sed laudo

mo. Cum enim non sint afflicti & στενοχώραμενοι, obiter tantum Scripturam sacram legunt, nec consolationem inde petunt; sed, tractatione sacrarum literarum laudem ingenii et eruditionis aucupantur.

(g) Noli autem putare, Tibi ideo, ad quemuis sacri codicis locum, omne genus commentariorum, qui ceteroquin non contemnuntur, adhibendum esse. Wellerus, S. II. p. 8. Diu multumque dubitavi, hos meos commentarios edere, - - - quod viderem, multitudine librorum ecclesias obrui, & studiosos theologiae ab assidua lectione ac meditatione sacrarum literarum propemodum auocari. S. III. p. 190. Video - - ecclesias multitudine commentariorum prorsus obrui, et pium lectorem a studio ac meditatione scriptorum prophetarum et apostolicorum abduci.

(h) Idem, Sect. II. p. 4. Sed, ut saepe auditores

do; et hortator sum omnibus Theologiae studiosis, ut sibi multa praeclara dicta Scripturae reddant quam familiarissima, ut sint in conspectu et promtu, cum aut seipsos, aut alios consolari voluerint.

§. VII.

Lectio scriptorum ecclesiasticorum.

Quia vero Theologiae studioso scriptores quoque ecclesiastici legendi sunt, iudicium et consilium meum de his adii-
ciam. Multi sunt in ea persuasione, neminem solide doctum Theologum fore, nisi

tores meos admonere soleo, in hoc fere sita sunt omnia, ut textum Scripturae saepius legant, ac relegant, verborumque pondera diligenter expendant. Hoc enim praeceptum mihi olim dedit D. Lutherus, cum primum ad S. Theologiam applicuissem animum. Haec res, inquit, me fecit Theologum p. 8. Memini D. Lutherum aliquando studioso cui-
dam Theologiae, quaerenti ex ipso, quomodo studia sua theologica recte institueret, hoc praeceptum tradere, ut sacras literas longe maiore intentione ani-
mi,

nisi qui Patrum scripta, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, etc. diligenter euoluerit. Itaque hortatores sunt nouitiis Theologis, vt illorum monumenta saepius legant, ac relegant. Nec ferendos putant, in disputationibus, qui Lutherum allegant. Maiorem enim esse putant auctoritatem Patrum, quam Lutheri. Sic enim omnes iudicare solent, qui non totum Lutherum pernorunt. Ostendam, quid mihi D. Lutherus consilii hac in re dederit. Postquam ad S. Theologiam animum applicassem, vir DEI admonebat me, vt, praecipuos quosdam libros Augustini legerem, scilicet librum de confessionibus, (i) item librum de doctrina christi-

mi, quam prophanas literas, legeret; eo quod sint verba diuinae maiestatis. Ideoque singulorum verborum emphases et pondera diligenter obseruaret. Et subiicit: hoc studium legendi ac meditandi sacram Scripturam me Theologum effecit.

(i) Exponit Augustinus, in hoc opusculo, sui ad Deum conuersionem, et praecipua momenta vitae suae spiritualis. Optauit, procul dubio, Lutherus, vt quiuis Theologiae studiosus, exemplo

Augu-

christiana, de ciuitate Dei, et similes. Iussit et aliquid temporis interdum me impertiri lectioni scriptorum Bernardi, propter egregias sententias, quibus ille abundat. Nec non et Ambrosium me legere voluit, propter antiquitatis notitiam. Ab Origenis, et similium, lectione me deterruit, eo quod illi omnes locos Scripturae in allegorias transformarunt. Itaque Origenis, et eius similium, lectionem Theologiae Studiosis perniciosam esse ducebat. Hieronymi vero nec dictionem, nec interpretationem, vnquam probauit. Nam dictio eius est tumida, et plus operae fumsit, in declamando, quam in interpretando Scripturam. Sed nec Basilii M. scripta admodum laudabat; dicebat enim, illa (vt ipsius verbis vtar) nimium redolere monachatum. Magistrum sententiarum ideo legendum esse aiebat, quod is omnium fere Patrum
senten-

Augustini, non solum veram doctrinam amplectatur, sed statim quoque de sui ad Deum conuersione sit sollicitus, a qua, proh dolor! plurimi sunt alienissimi, quando ad academiam accedunt,

sententias, de praecipuis locis doctrinae Christianae, in libro suo, collegerit; sed tamen, cum iudicio, iuniores Theologos legere illum volebat. Memini illum saepe dicere, neminem ex Patribus locum de iustificatione tractasse, praeter vnum Augustinum, qui mediocriter illum tractauit.

§. VIII.

*Librorum, a Luthero editorum,
lectio suadetur.*

Post sacra Biblia diligenter ac studiose diuina monumenta (k) D. Lutheri legas ac relegas. Nemo enim praeclarus Theologus, qui conscientias recte erudiat et consoletur, fieri potest, nisi Lutheri scripta diu multumque legerit, diurna et nocturna manu illa versans. Scio quosdam esse, qui D. Philippi scripta longe praeferunt scriptis D. Lutheri. Dicunt enim, quod Dn. Philippus omnes locos doctrinae Christianae ἐσσωματοποίησε; quod negant, Lutherum fecisse: et ob hanc

B

cau-

(k) Praesertim Commentarium in Genesin, quem

causam scripta Domini Philippi magis putant prodesse ecclesiis, quam D. Lutheri. Mea haec est sententia, Dn. Philippi scripta studiosis Theologiae diligenter legenda esse propter μέθοδον, cuius ipse mirus artifex fuit; et propter dictionem eius, quae latina, pura, suavis, propria et perspicua est: D. Lutheri autem monumenta, propter vberiore explicationem sacrarum literarum, et praeclaras cogitationes, studiosius euoluenda esse, duco. Ipse enim, tanta dexteritate, et perspicuitate, Prophetica et Apostolica scripta interpretatus est, quanta nullus vnquam interpretum facere potuit, aut facturus est. Solus enim Lutherus hoc artificium tenuit, vt de rebus arduis tam clare, perspicue et simpliciter, dicere et scribere potuerit, vt etiam pueri scripta eius possint intelligere. Hanc ipse laudem cum nullo ἐξηγνηται habet communem.

quem in senectute composuit, in eumque plurima experientiae suae retulit documenta; explicationem scriptae ad Galatas epistolae; alia: nec non excerptos ex eius libris flores fragrantissimos; quales ex Statii Luthero rediuiuo petere potes.

munem. Omnes praecipuos articulos doctrinae Christianae, in suis scriptis, lectionibus et concionibus, integre et perspicue tractauit. Solus ipse infestissimum hostem ecclesiae, Anti-Christum, monstrauit, et conscientias a laqueis humanarum traditionum liberauit, pios et afflictos, in omni tentationum et calamitatum genere, confirmauit, et multos ab orco, vt dicitur, consolationibus suis, reuocauit. Nulla enim tentatio, aut calamitas, dici potest, cuius non ipse remedium in sacra Scriptura monstrauit. Omnium aetatum et conditionum homines docuit, quomodo, in sua quisque vocatione, Deo seruiat. Magistratum politicum amplissimis laudibus ornauit. Nec solum Papi- stas, verum etiam Antinomos, Enthusi- astas, Sacramentarios et Anabaptistas re- futauit. Ad haec cum omnibus fere dae- monibus dimicauit, quod testantur ipsi- us ἀγῶνες ac πειρασμοί. Memini, eum ali- aliquando dicere: Nullam esse tentatio- nem, cum qua ipse non sit conflictatus.

(1) Atque haec παθήματα fuerunt ei μα-

B 2

θήμα-

(1) Wellerus Sect. III. p. 35. Exstat praeclaro

ἔργῳ

θήματα. Impulerunt enim eum, vt, maiori diligentia et attentione, Scripturam scrutaretur, quam vulgus Theologorum. Nec vero Te perturbent quorundam nasutorum ἀσόφων σοφῶν peruersa iudicia, qui dicunt, Lutherum fudisse sua scripta, et non elaborasse, et multas in illis esse ὑπερβολὰς καὶ παραδόξα. Nescio, quid acuti illi censores vocant ὑπερβολὰς καὶ παραδόξα in scriptis Lutheri; nisi forte dulcissimas illas consolationes, quibus ipse fauciatos animos, ignitis telis diaboli, erigere consuevit. Cuiusmodi illa est, qua Lutherus multas afflictas conscientias saepe confirmauit: Etiam si tot peccata et scelera commisisses, quot decem mundi possent committere, minime tamen desperare debes; sed certo statuas, illa tibi a Deo remitti, si modo, serio poenitentiam agens, in Christum credideris. Quia Christi meritum longe exsuperat omnia mundi peccata. Non enim

vox, digna memoratu, Ren. viri D. Lutheri, qui sic fertur dixisse: variae et horribiles tentationes ac multiplicia certamina non passa sunt me κενόδοξον

enim in te ipso, sed in Christo peccata tua spectare debes. Item Christus omnium maximus peccator, et simul iustitia, et vita aeterna. Item alibi: Tu vis esse fictus peccator, et Christum habere fictitium saluatorem. Si haec dicta Lutheri licet vocare ὑπερβολὰς ἢ παράδοξα; licebit, ad eundem modum et has sententias Pauli vocare ὑπερβολὰς ἢ παράδοξα: Vbi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Item: Lex iram operatur. At homines securi, et certaminum spiritualium imperiti, nesciunt, quantae molis sit, afflictam mentem et sauciatum ignitis telis animum consolando erigere. Videmus, in Epistola D. Lutheri, qua olim Reuerendum virum, D. Georgium Spalatinum, in aliqua tentatione, consolatus est, quam sudarit, in ipso confirmando. Omnes consolationes eruditissime collegit, vix tamen illis dolorem optimi viri leuare potuit. Si

B 3

Domi-

et Φίλαυτον esse. pag. 169. de eodem Luthero: Nec vero solum sacrae literae eum erudierunt, sed fuerunt ei παθήματα μαθήματα. - - Non igitur otioso

sic
ac
ξον
66

Dominus aliquando, ad hunc modum, istos nasutos censores in infernum conuerterit, vt Psalmi verbis vtar; tum demum intelligent, et fatebuntur, quam necessariae sint hyperbolicae consolationes Lutheri.

§. IX.

Monita de recte concionando. Primum de praeparatione ad concionem.

Habes consilium meum, de ratione instituendi studia Theologica; quod Tibi, Tuique similibus probatum iri non dubito. Magis autem illud probabis, vbi
tyro-

otioso ac securo animo, vt vulgus Theologorum solet, sacras literas interpretatus est. Illud autem diligenter obseruavi, quoties aliquod vtile et necessarium scriptum editurus erat, illum prius colaphizatum fuisse a diabolo. Ὁλίψεις, ἀγῶνες, στενοχωρίαι impulerunt eum, vt altius Scripturam sanctam inspiceret, quam cacteri interpretes, et, vt omnium tentationum et afflictionum certa remedia et solatia in literis sacris monstrare posset, quod minime praestare possunt rudes tentationum et certaminum spiritualium.

tyrocinia olim, in concionando, depofueris. Quia vero munus docendi in ecclefia aliquando fubiturus es, pauca etiam de virtutibus concionatoris (m) ad-
B 4 iiciam.

(m) Praecepta quaedam concionandi fuppeditat, in alio tractatu, qui de officio epifcopi et virtutibus eius inſcriptus eſt, et, in eo, animum, dotes, vitam concionatoris delineauit. Pauca ex illo libello, qui in operibus eius Lat. Sect. III. p. 31. - 33. exſtat, proferam in medium. *Es ſoll, inquit, altes beſſerlich ſeyn, an enim Biſchoffe.* p. 37. Contentioſi Doctores ſerunt diſcordias, et vel ambitione, vel maleuolentia, vel naturae moroſitate, undique aucupantur occaſiones rixarum, priuatiui, aut publice. Item offendunt pias mentes, et eos, qui nondum ſatis inſtructi ſunt, in vera doctrina, et ſunt tamen ſanabiles, abalienant ab eius ſtudio. Idem Philoverxi non patiuntur ſe emendari, et, ſi quando aberrauerint, in viam reuocari. Ideo nunquam poterunt ſuum ſibi comparare de rebus magnis iudicium, nec unquam veram ſententiam aſſequi. Sicut in prouerbio dicitur: nimium altercando plerumque veritas amittitur. In arduis enim controuerſiis, non poſſunt obſeruare et animaduertere, quid veri et falſi inſit, aut quae ſententia retinenda ſit. Solida enim eruditio non reddit homines contentioſos, ſed moderationem ac ſuaui-
tatem

morum

iciam. Praecipuae concionatoris virtutes sunt quatuor. (n) Est autem prima virtus concionatoris, vt elaboratam seu accurate compositam concionem, quae lucernam, vt dicitur, olet, afferat, summo opere cauens, ne ad extemporales conciones sese adsuefaciat, sed vt bene meditatus et instructus ad docendum accedat.

morum parit. E contra vera ἀμαθία seu inscitia reddit homines audaces et contentiosos. Et paulo ante: Impossibile est igitur, vt doctor ecclesiae, qui auaritiae vitio laborat, recte, pie et sincere doceat. Praecipue Reu. vir D. Lutherus dixit, se ardentibus votis hoc a Deo petuisse, ne ipsum, quamuis alioqui labentem, in auaritiam labi sinat. Alio loco scilicet Sect. I. p. 332. hoc confirmat: Doctor auarus non Χριστὸν ἀγνῶς καταγγέλλειν, vt Paulinis verbis utar.

(n) Wellerus Sect. III. p. 139. Constitui - - non accuratam quandam et integram rationem concionandi tradere: sed simplicem et planam, et plane eiusmodi, quam Reu. Dominum D. Lutherum, patrem ac praeceptorem meum, in suis scriptis, et concionibus, seruasse, animaduerti. Saepissime enim ex ipso audiui, modum concionandi non posse arte aut praeceptis tradi, eosque longe errare, qui nimis anxie

dat. Debet igitur omnes suas conciones prius domi formare. Nam compositio multas vtilitates affert. Format enim iudicium, coercet ingenii petulantiam, luxuriam orationis emendat, ac depascit, et facit, vt prudenter circumspecte et caute dicat concionator, timens, ne quod verbum sibi imprudenter excidat, quo aut gloria Dei laedi possit, aut pia mentes offendi, impiorum vero securitas ac ferocitas confirmari. Hinc est, quod omnes excellenti pietate et doctrina ora-

B 5

tores

anxie et superstitiose ad praecepta Dialectica et Rhetorica conciones suas informare conantur. Alia quaedam monita beati Welleri de recte concionando subiiciam. Sect. III. p. 155. ait: Cum sacra concio potissimum ad imperitorum captum accommodanda sit, omittendae sunt, in concionando, quantum fieri poterit, omnes subtilitates et disputationes, de rebus arduis. Huius generis cum sit confutatio, id est, dissolutio argumentorum, quae ab aduersis obii- ciuntur, varissime illa utendum est, in sacris concionibus, sed tum demum ea adhibeatur, ubi necessitas postulauerit. Sect. II. p. 4. Malim, concionatores prope plus operae, in admonendis ac reprehendendis se- curis,

tores ecclesiastici suas conciones accuratissime composuerunt.

§. X.

*Secundum de imploratione auxilii
Spiritus sancti ad concionandum.*

Proxima virtus concionatoris est, et quidem vel praecipua, ut, cum summo timore ac tremore, ad docendum accedat: hoc est, ut Deum inuocet, ut Spiritum sanctum sibi donet, qui pectus, os et linguam eius regat, et eiusmodi mentem

curis, quam in consolandis afflictis, sumere. Semper enim maior pars auditorum sunt homines securi et profani. Illorum vero, qui sensu peccati et irae Dei, ac terroribus inferni et mortis vexantur, exiguus est coetus. Sect. I. p. 329. Diabolus miris modis nouit peccatum extenuare, atque amplificare commoda, quae inde possimus percipere, et hanc cogitationem nobis immittere: Deum non ita horribiliter irasci peccato, sed iram eius facile posse placari: etiamsi grauiter peccauerimus, tamen Deum illico peccata remissurum esse, si tantum ad misericordiam confugiamus, credentes in Christum, tum et culpa et poena remissa erit: hac suggestionem multos in atrocissima

tem donet, quae nil, nisi gloriam Dei atque aedificationem ecclesiae spectet. Periculum ferunt, consensurum suggestum, semper a Deo precatum fuisse, ne quod verbum sibi excideret, quo quisquam laedi posset. Quanto magis decet doctorem ecclesiae, cum ad docendum accedit, in eo loco, ubi non modo homines sed etiam angelos, ac Deum ipsum, auditores habebit, Spiritum sanctum invocare, ut regat os et linguam eius, ne quod verbum sibi excidat, quo aut gloria

cissima peccata impulit. -- Haec securis et profanis concionatores inculcent, piis vero et afflictis -- proponant exempla eorum, quos Deus serio poenitentes recepit in gratiam. -- Cum igitur peccatum tam horrenda atrox et perniciofa res sit, concionatores summo opere hortentur populum, ut execrentur, vitent et horreant peccatum, et simul rationem vitandi peccati doceant. p. 766. Antinomicum -- dogma non minus perniciosum est illo (pontificio). Sic enim docent Antinomi: Nihil referre, quomodocunque renati vivant, etiamsi perseverent in peccatis, contra conscientiam, non tamen illos damnari, modo hanc vocem possint usurpare: Credo in Christum. Cum autem

autem

ria Dei laedi possit, aut piaē mentes conturbari.

§. XI.

Tertium: de semouendis a concione popularibus paradoxis et plausibilibus.

Tertio operam det, non ut popularia, paradoxa et plausibilia dicat, sed pia, utilia et necessaria tradat: et, in hoc summis animi viribus incumbat, ut pavidas conscientias erigat, et confirmet; ferrea autem et adamantina pectora comminationibus divinis terreat, ac impenitentes frangat.

§. XII.

Quartum: de semouenda a concione vanitate, iocatione et contumelia.

Quarto caueat, ne bellis et concinnis dicteriis, seu scommatibus, quae Paulus *εὐτραπείας* vocat, auditorum aures demulcere videatur; nec atrocibus,

con-

autem iam, his nouissimis temporibus, Epicureismas incipit mirum in modum incrementa sumere, sicut Petrus et Paulus apostoli praedixerunt, in suis epistolis: concionatores hac extrema mundi senecta,

dili-

contumeliosis et virulentis verbis, in reprehendendo vtatur. Nam etsi reprehensio grauis esse debet, tamen contumelia et acerbitate careat, et plane sit eiusmodi, quae ex amico et pio pectore perfecta esse videatur. Sunt enim quidam concionatores non modo nimis importuni, sed etiam acerbi, virulenti ac contumeliosi, in taxandis hominum vitiis. Semper igitur obiurgationi addat hanc correctionem: optimi in Christo fratres, *lieben Freunde*, nouit Deus, me non odio aut maleuolentia accensum, sed vero zelo et officii ratione adductum, seuerius vos obiurgare, et taxare vitia. Lutherus, etsi natura erat vehemens et ardens, et vitia acerrime taxabat in concionibus; tamen

fem-

diligenter ac sedulo, populum ad studium bene operandi, et nouam obedientiam hortentur, et ostendant, omnes, qui non emendant vitam ac bene operantur, vacuos esse fide, iuxta illud Pauli: Fides per charitatem est efficax. Nouum enim hypocritarum genus iam exortum est, qui apprime Christianos se esse arbitrantur, si frequentant sacras conciones, et crebro coena Domini viuuntur, interim pergunt cumulare omnis generis flagitia, hi sunt illi, qui ludibrio habent

bene

semper a conuiciis et nimia asperitate verborum sibi temperabat.

§. XIII.

Quintum de prohibendo iusto longioris concionis taedio.

Quinto illud semper studio habebit, ne nimium prolixas conciones habeat, nec obruat auditores, multis locis tractandis, vt eos taedium verbicapiat. Memini, D. Lutherum dicere ad Theologum quendam, cui mos erat, ad duas fere horas, concionari: Vos facitis taedium verbi. Item Dominum Philippum aliquando, cum forte, in mensa, concionatorum mentio facta esset, hanc vocem edere:

bent peccatum, gratiam Dei et mortem Christi, in hos conuenit illud epistolae ad Hebraeos cap. VI. ἀναυγυντες ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντες. Sect. III. p. 156. Cautè concionari dicitur, quisquis operam dat, ne quid plus minusue dicat, quam necesse est. Non solum igitur in verbis, sed multo magis in rebus haec cautio sita est, exempli gratia, si quis de iustificatione concionem haberet, et diceret,

edere: Oportet oratorem, siue ecclesia-
sticum, siue forensem, perquam facun-
dum et suauem esse, vt, si vltra dimidiam
horam concionetur, effugiat taedium au-
ditorum. Quia nullus, inquit, sensus ci-
tius defatigatur, quam auditus. Praecla-
re vterque, et Lutherus, et Philippus. Vt
enim hi omnium optime musicis instru-
mentis ludere dicuntur, qui, cum dulcis-
sima est cantilena, abrumpunt eam, vt
acuunt in auditoribus auiditatem auscul-
tandi: ita concionatores maxime proban-
tur, qui sciunt, quid sit satis, hoc est, qui
norunt et incipere, et desinere. Id autem
nemo melius facere potest, quam qui
μεθόδον in concionando tuetur. Dici au-
tem non potest, quam necessaria sit *μεθό-
δος* in docendo. Efficit enim, vt audito-
res semper aliquid ex concionibus domum
aufe-

*diceret, iustitiam Christianam esse, credere in Chri-
stum, atque hic sermonem abrumperet, hoc esset in-
caute concionari, debuisset enim integram definitio-
nem iustitiae Christianae tradere, videlicet, quod iu-
stitia Christiana sit, apprehendere misericordiam Dei,
fide in Christum, et in nouitate vitae ambulare, vt*
Pau-

auferant. Etsi enim magna laus est concionatoris, rem amplificare dicendo, et adducere animos auditorum ad aliquem affectum; tamen ne id quidem praestare potest, nisi studiosus sit methodi. Sicut apparent in omnibus scriptis Lutheri, et summorum oratorum. Plura de virtutibus concionatoris possent praecipi, quae ex aliis aliquando cognosces, et hanc meam breuitatem boni consules. Bene vale in Domino, qui os et sapientiam Tibi dabit, et in concionando, et confitendo Christum. Bene vale in Domino! Fribergae xiii. Septembr. 1561.

HIERONYMVS WELLERVS. D.

Paulus inquit, hoc est, ipsis fructibus et operibus fidei declarare, me verum membrum esse Christi.

APPEN-